UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Athanasii Kircheri Soc. Iesv Diatribe. De prodigiosis Crucibus

Kircher, Athanasius

Romae, 1661

Capvt II. De significatione istiusmodi Crucum, quae nullo non tempore varijs in locis & Regionibus in vestimentis hominum apparuerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11300

Visual Library

CAPVT II.

De significatione istiusmodi Crucum, quæ nullo non tempore varijs in locis & Regionibus in vestimentis hominum apparuerunt.

EX præcedenti ratiocinio aliquis deduceret, euentus rerum humanarum, naturalium causarum catenis ita ex Diuinæ prouidentiæ lege connexos esse, vt hoc vel illo ostento posito, quantum ex parte Naturæ est, producatur effectus materiæ viribus ex qua ostentum coaluit, proportionatus; nisi is ab eo, in cuius potestate posita sunt omnia, modo quodam nobis incomprehenso impediatur; qui quidem modus omnem Naturæ vim excedit, vti euenit, quandò causarum agentium operationibus frena inijcit; quemadmodum in igne fornacis Babyloniæ aliisque similibus factum esse Sacra memorat Historia; in alijs verò agentium vires non

DEVS precibus iustorum Naturæ operationes subinde cohibet;

non adimit, sed alijs interuenientibus extrinsecis causis effectus aut diuertit tantùm, aut omnino destruit. Exemplo rem exponam. Cometes vti ex Solis aliorumque Astrorum euaporationibus exortus est; ita eodem quoque, quo coaluit virulento virium influxu inferiorem Mundi Oeconomiam miris modis infestat; qui si per elementorum δυσκρασίαν copiosam bilis copiam in humano temperamento generet, illa in mores transfusa (Galeno siquidem teste, mores temperamentum siuè naturale siue accidentibus extrinsecis affectum sequuntur) in hominibus eos præstat effectus, qui bilis proprij sunt; vnde bella, rixas, contentiones, seditiones cum magna sæpè mortalium strage consequi necesse est; si verò virulento virium effluuio aërem ijs sordibus, quæ μιάσματα Græci vocant, infecerit, mox aër aquæ, & hæc telluri communicatum sibi virus in alimenta propagant, alimenta ab hominibus introsumpta, paulatim altas fundant in sanguine radices, ex quibus tandem pullulat illa contagionis lues formidanda sanè, quàm

pestilentiam dicimus, qua serpente magnam sæpè mortalium portionem consumptam fuisse historiæ memorant; si fides sit penes Authores. Fidem esto de terræmotibus iudiciũ, qui si ob intus latentem putridioris humoris colluuiem per voragines hiatusque in apertam auram expirauerint, aër deleterijs huiusmodi qualitatibus tinctus, si non semper in pestilentiam, saltem in alia morborum aut publicę calamitatis monstra, peste fortassis non inferiora degenerabit. Eodem prorsus modo & ratione de Crucum Phœnomeno ratiocinandum tibi esse scias. Iecerat iam dudum Vesuuius variam terrestrium glebarum diuersorumque succorum miscellam, quã acido mineralium spiritu fermentatam Sol feruore æstuans in vaporem attenuarat; vapor resolutus in appropriatam sibi materiam roris instar illapsus Crucum prodigiosarum phasma exhibuit; De quo tale iudicium formare quis posset. Si vapor istiusmodi ex innoxijs salium speciebus supramemoratis coaluerit, certè tantum abest, vt mali quicquam portendat, vt potius aërem

Quomodo & an Crucum genesis malum, vel bonũ portẽdat.

con-

conceptamque, si quæ latuerit, putredinem, pro ea, qua pollent acrimonia, incidant, extergant, purificent, & ad perfectum salubritatis statum conducant; Accidit tamen plerumq; vt istiusmodi vapor ex adusto sulphure & bitumine Arsenici Mercurijque lethiferis tincto spiritibus ortus, vnà cum terrestribus glebis varia putredine vitiatis, insigni aërem intemperie inficiant, quæ cum tempore occultis machinis promota, in apertam tandem epidemicã luem erumpat; quam tamen Diuina bonitas pijs fideliũ votis sollicitata non tantùm coercet, sed etiam vel per vnicum salubrioris venti flatum consumptis pernicioſis, qui in aëre stabulabantur halitibus, prorsus perimit destruitque, nisi forsan obstinati humani cordis contumacia iustissimum DEVM vel inuitum ad frena Naturę laxanda in propriũ mortalium exitium instigarit. Vtriusque exempla nobis Historiæ in prima huius ratiocinij parte adductæ demonstrant; vti Theodosio contra Persas moturo Cruces in vestibus militum conspicuæ, infallibili inditio victoriam mox secutam

Exempla boni euẽtus.

pro-

promiserunt; Iuliano quoq; & Constantino Copronymo Ecclesiam crudeli persecutione infestantibus Crucum in vestibus phasma, & mortem vtrique, & vnà Ecclesiæ tranquillitatem, atque ingens incrementum portendit. Contrà verò in Germania, si vti Trithemius narrat, dictæ Cruces quandocunque conspiciebantur, epidemicã pestis luem mox insecuturam significabant; mirum est quod de eodem Trithemio Theatrũ vitæ humanæ narrat, eas enim Cruces quæ anno 1515. vestibus hominum impressę comparuerunt, primò post decennium suam energiam exerturas prædixisse fertur, nec euentus eum fefellit; anno enim 1525. Religionis nomine seditiosi Rustici ex seipsos & totam Germaniam ingentibus implicuere malis, qui Sacræ tesserę loco, Crucis figuram suis affixam vestimentis gerebant pestis Quod verò tempore nonnunquã tum in horrida lue Constantinopolitana tẽpore Constantini Copronymi, tum in Germania multis in locis huiusmodi Cruces in vestibus, stragulisque lectorum comparuerint, id in pestiferi vaporis cõstitutio-

nem

nem aptè conferri potest, qui vi suæ σαυρομορφωτικῆ ea prorsus ratione, quam suprà exposuimus, prodigiosum effectum eduxit. Solet quoque subindè ex fulmine similis effectus Diuina dispositione produci, quemadmodum Anglicæ historiæ narrant; siquidem primo Regni anno, quo Elisabetha, rediuiua Iezabelis imago, rerum in Anglia potiebatur, dum Proceres publicæ in Ecclesia solennitati interessent, de repente ingens exorta tempestas fulminibus & fumo locum repleuit; quo euanescente, mirum dictu, cuncti præsentes vestes suas Crucis typo insignitus obstupuere, qui iam dudum sacrosanctæ Crucis signum, non ab Ecclesijs tantùm, sed ab animis hominum eliminarant; secutæ sunt paulò post eæ in Orthodoxos persecutiones, & tormenta, quæ Theatrum crudelitatis Anglicæ cum stupore & admiratione legentium in picturis exhibet; non negarim tamen in his similibusque, iubente DEO, operam Angelicam interuenire, saltem vt plurimum ad causarum naturalium applicationem.

Exemplũ mali euẽtus.

Atque adeò apertè pateat, DEVM Opt.

Opt. Max. suam prouidentiam ea de causa Naturæ ita arctè connexuisse, vt inuisibiles illius operationes per ea, quę facta sunt, tanquam in Diuinæ mentis speculo eluceſcentia contemplaremur; quod si in vllis alijs rebus, tum vel maximè in sacrosanctæ Crucis signo luculenter patet, quod vt ab æterno in salutis atque Redemptionis humanæ triumphum destinauit ineffabilis DEI sapientia, ita quoque, ne tanti beneficij immemores id intimis cordis fibris semper fixum teneremus, omnibus rebus naturalibus insculptum esse voluit. Si historias præteritas voluamus, nulli in cœlo prodigij φαινόμενον frequentiùs fuisse, Crucis apparitione reperiemus. Hoc saxis, quin vel ipsis sossilibus frequenter à Natura insculptum cum admiratione cernimus. Consule vegetabilis Naturæ Oeconomiam; & in nonnullis quidem rudi Naturæ penicillo, in quibusdam verò, vti in certa cucurbitæ dissectæ specie, perfecta Naturæ industria expressum intuebimur. Non desunt, quæ partim in ipsis folijs floribusque, partim in fructu meditullio id delineatum exhibeant.

Crucis Phœnomenon in omnibus rebus naturalibus a Natura formatur

Experimentum. Cum ad Albulam in Tyburtino agro relaxandi animi causa præterlapsis anno agerem, pluresque lapideas Cruculas in ripam reiectas perfectè efformatas reperirem, arcanum Naturę obstupui, & vt quid intus lateret, contuerer, petrosum corticem rupi, ac inueni tandem gramen quod cruciatum vocant aquis illapsum successu temporis petrifica vi fluminis saxoso seu potius nitroso cortice vestitũ coaluisse; vt vel ipsum insensatum aquæ elementum in Crucis efformationem ad contestandam Seruatoris nostri benignitatem, operam suam conferat. Si sensitiuæ Naturæ familiam scrutemur, innumera Crucis signacula in exteriori corporis superficie notata reperiemus animalia, tam ex volucribus, quàm quadrupedibus insectisque spectabimus; vt interim miraculosas Crucis apparitiones quæ in ipsa saxorum, lignorum, arborumq; apertione se diuinitùs obtulerũt, sileam, quæ vti nullis non historijs obuia sunt, ita quoque ijs immorari nolumus. Legat cui libuerit, Iaponiæ, Indiarum, Chiles, historias de Crucum tum inuentione prorsus prodigiosa, tum de miraculis

lis indè consecutis, & quæ diximus vera esse inueniet. Concludo vel ipso Crucis vocabulo, quam Diuina potentia mysterio Crucis vacare noluit, si enim quatuor literas, quibus C R V X formatur in quatuor Crucis cornibus scripseris, hanc ex acrostycha lectione sensum efficies.



Christus Redimere mundum Voluit Cruce.

Sed hæc de Crucis spectaculis dicta sufficiant.